




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-214598-p0001-9

DFG



DISPUTATIO

DE IURE IVRAN-
DO MATERIA IN FORO

utilissimâ;

Quam

Autore Deo Opt. Max.

Ex Decreto amplissimæ Facultatis Iuridicae
in Academia Ienensi,

Præsidente viro clarissimo & consultissimo Dn. O R-
TOLPHO FOMANNO I. V. D. & Profes-
sore Pandectarum publico; Præceptore suo in per-
petuum reverenter colendo;

Publicè discutiendam proponit; in Auditorio ICTORUM;
ad diem 22. Decembr.

Philippus-Henricus Hoenonius Dietzen-
sis Nassovius;

JENÆ

Typis Tobiae Steinmanni, Anno 1599.

1599

30

Clarissimis, consultissimis spe-

etatissimisque viris;

Dn. Ioanni Ludovico Cambergero I. V. D. & illustris ac generosi Comitis Dn. Philippi, Comitis in Nassavv, Sarprücken &c. Consiliario dignissimo, avunculo suo plurimum colendo;

Et

Dn. Alexandro Sohnio I. V. D. & illustris ac generosi Comitis Dn. Ioannis Senioris Comitis in Nassavv, Catzenelenbogen, Vianden & Dietz, Domini in Beilstein, nec non Illustrium ac generosorum Comitum Dn. Philippi Iacobi, Dn. Reinhardi, & Dn. Christophori fratum germanorum, Comitum in Leiningen, VVesterburg & Schaumburg, Consiliario & Præfecto fidelissimo; vitrico suo omnibus observantiae officiis colendo;

Hoc reverentiae debitæ signum studiorumque testimonium;

Ex inclytâ & florentissimâ Salanâ
mittit Respondens,

De Iurejurando;

THESIS I.

VRAMENTI SVBIECTVM
cui id adjungi solet, est res vel controver-
sa vel non controversa. Super re non
controversa interpositum promissorium
Dd. appellant & ad contractuum nuda-
rumq; conventionum corroborationem
adhiberi, ita ut jurans ad servandum præstandumque id
quod promisit officio judicis, non verò actione ad id
proditâ (major enim hujus juramenti quām nudi pacti
energia non est utroque jure inspeccio). compelli possit,
rectè existimant.

2.

Illo tamen casu actionem ex eo nasci notissimi jus-
ris est; si nimis libertus eo interposito operas, donū,
munus patrono suo promittat, Qualem verò illa liberti
promissio obligationem producat, adhuc ambiguum
est; Cujacius Goeddæus verborum esse obligationem ar-
bitrantur; Donellus fortioribus rationibus rectè negat;
cùm verborum obligatio ea tantùm sit quæ præcedente
interrogatione constet & subsequente congrua respon-
sione.

3.

Confirmat autem hoc juramentum jure, ciuili va-
liditas conventiones tantùm non etiam invali-
das; Iure tamen Canonicō omne juramentum, nisi
vergat in dispendium æternæ salutis, vi metuē extortū
sit, turpem causam contineat, vel juri publico adverse-
tur, servandum esse didici.

A 2

Mulier

4.

Mulier igitur juramento interposito beneficio SC.
Vellejani si renunciavit, id servare debet. Est autem ante
renuuationem de beneficio suo certior reddenda.
Nec enim Gailio juramentum vim certiorationis habe-
re afferenti fidem adhibeo, et si ex eo Dn. Camerale*s* il-
lam sententiam in judicando sequi edocet sim.

5.

Idem de minorenni multò magis statuo; quem adver-
sus contractum juramento confirmatum haud posse
in integrum restitui Iuris suadet ratio.

6.

Quid dicendum de donatione inter coniuges, patrem
& filium, et excedente, 500. solidos? de luce civili res fa-
tis expedita est, eiusmodi nimirum donationes esse inva-
lidas; Canones Iuramenti esse rationem habendam
docent.

7.

Iuramentū super re controversa inter positum, vel fit
litis decidendæ vel religionis injiciendæ causâ. Huius
generis tres species à Dd. referuntur; Iuramentum, calu-
mnia, Testimonij, purgationis.

8.

Calumniæ Iuramentum hodiè sufficit generale
statim in initio litis præstitum. Eo juratur nihil in toto
negotio calumniæ causa factitatum iri, adeoque néces-
sarium est, ut ne partium quidem consensu remitti pos-
sit; quamvis tacitè id fieri posse jus canonicum velit.

9.

Idque regulariter præstant quivis in omnibus cau-
sis, exceptis criminalibus (et si alij contrarium teneant)
nec

**nec à patronis & parentibus præstatur; sed bene tamen
à filio & liberto.**

10. **Testimonij juramentum, quod à testibus de verita-**
te dicenda exigitur, rectè à partibus, cùm earum tantum
non publicam (vt calumniae juramentum) respiciat uti-
litatem, remitti potest; licet Iudex ex officio id remitte-
re nequeat.

II.

Haud ineptè hīc quæritur; vtrum hoc juramen-
tum etiam aliquando à judice exigi possit; Quan-
do nimirum ipsi constat rem aliter se habere quam alle-
gatum est & probatum? Affirmantibus astipulor; Sed
utrum hoc casu judicis officium deponere cogetur?
Negantium vicem sustineo. Patet igitur judicem contra
conscientiam suam judicare non debere. Id enim nisi
faciat judex bonus dicendus non est; in quo rectissime
pieque Baldus duplicem salem requirit; scientiæ & con-
scientiæ; sine illo judicem esse dicit insipidum, sine hoc
diabolicum.

12.

Purgationis juramentum est quod reus ab actore
haud convictus innocentiae suæ demonstrandæ causa,
judice in certis & jure expressis causis id deferente, præ-
stat. Quo præstito reus ab actore probationibus adhuc
convinci potest.

13.

Juramentum quod litis decidendæ causa interpos-
nitur, subdividi potest, quod fiat vel ob solam litis deci-
sionem vel ob aestimationem debitoris præsertim coëra-
cendi causa; Illud dispisci rursus potest in duas species,
Voluntarium & Necessarium.

A 3

Regu-

Regulariter hæc juramenta omnes deferre possunt. Exciuntur personæ certæ; inter quas utrum minor & prodigus recenseri debeant in dubitationis alia est possum. Minorem deferre posse nullus dubito; Cùm & eum sine curatoris sui consensu rectè obligari posse manifesti juris sit, ut verè & eruditè id demonstrat Vultus; quicquid etiam pro negantium sententia Goeddæus disputet.

Etsi de prodigo quoque non dubitem juramentum cum deferre non posse; de tempore tamen, ex quo obligari ac proinde juramentum deferre non possit, controversia est inter Dd. grauissima; Alij nunquam utpote bonis ipso jure à lege ei interdictis. Alij non nisi interdicta à magistratu ei bonorum administratione obligari cum posse existimant. Et horum sententia meritò apud plerosque prævaluit.

Inter eos qui juramentum deferre nequeunt rectè Dd. connumerant eum qui post biennium exceptionem non numerata pecunia opposere nequit. Vnde tamen male quidem inferunt, exceptionem illam post biennium opponi non posse.

Voluntarium juramentum secundum vulgatam Dd. opinionem dirimi potest in judiciale & extra judiciale. Vtrique communes quod perjurium retractationi locum non faciat. Sustinebit ne vero perjurus poenam perjurii de jure nostro civili? Etsi poena de jure civili non est prodita; de jure tamen novissimo aliquam constitutam esse affirmo,

Volun-

18.

Voluntarium extrajudiciale est, quod extrajudicium; Iudiciale quod in judicio pars parti defert.

19.

Delatum hoc juramentum vel præstandum vel res ferendum, nisi justa recusandi causa sit,

20.

Vtrum verò justa causa sit si deferens persona turpis sit & pejerare sit solita, controversi juris est quæstio? Negantibus accedo.

Sic nec justa recusandi causa est, si actor deferens nihil probaverit; quod tamen de jure civili controversum, quamvis de jure Sax. dubio carcat.

22.

Illam tamen justam causam recusandi existimo, si actor intentionem suam plenè probare velit, vel si referri nequeat juramentum.

Necessarium juramentum dividunt in suppletorium & purgationis; Illud à judice in judicio deficientibus probationibus vel in dubijs causis defertur. Quæ verò sint illæ dubiæ causæ ex controversiis est controversissimum. Quidam eas definiunt, quæ æqualibus utrinque probatæ seu confirmatæ sunt rationibus. Alij in quibus aliquid sed non plenè probatum est. Alij distinguunt; & priori illo casu reo, posteriori, actori si solus intentionem suam ex parte probaverit, deferti volunt. Alij denique arbitrio judicis hoc totum relinquendum putant. Distinguunt sententiam amplector.

24.

Et defertur quidem hoc juramentum etiam si partes non petiverint; etiam post causæ conclusionem.

25.

Referri autem vel remitti nequit; bene tamen novis instrumentis repertis potest retractari.

Causæ,

26.

Causæ, in quibus defertur, sunt pecuniariæ tantum & matrimoniales. Pro matrimonio; non etiā criminales & arduæ purgationis juramentum reo de criminis suspecto nec convicto interdum judex defert;

27.

Sequitur juramentum quod ob litis maximè fit estimationem.

28.

Id rectè Dd. in juramentum affectionis & veritatis dividunt. Hoc qui præstat veram rei estimationem tantum consequitur; Illud verò qui interponit ulterius etiam aliquid ob contumaciam non restituentis adipisciatur.

29.

Illud in omnibus actionibus bonæfidei & arbitrijs, in quibus ad rei agitur restitutionem locum habet. Non igitur in actione exempto; nec in contrarijs.

30.

Ob dolum præstari hoc affectionis juramentum certum est. An etiam oblatam culpam. Affirmantibus assensum præbeo.

Theses Miscellaneæ.

I. Bonæfidei possessor fructus quos percepit ex alieno fundo consumptione suos facit pro cultura & cura: Ergo industriales suos facit, qui cultura & cura proveniunt; Naturales qui sine tacto hominis nascuntur suos non facit; Imò & industriales extates seu perceptos tantum restituere tenetur,

II. Iudicem delegatum jure civili recusari posse inter Dd. convenit. An idem statuendum de Ordinario? Negantū sententiam tanquam veriorem sequor; licet alium ei ob causam suspicionis adjungi debere lubens concedam.

III. Locatio conductio proxima est emptioni venditioni, ijsdemq; juris regulis consistit, non tamen ita, quod quemadmodum pretium emptionis non nisi in pecunia numerata consistit, sic quoq; merces sive pensio consistere debeat in locatione conductione.

F I N I S.

Jura, Diss., 1579-1600



3

L
Sb.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-214598-p0012-1

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.



DISPVTAT IO.
DE IVREIVRAN-
DO MATERIA IN FORO
utillissimâ;
Quam
Autore Deo Opt. Max.
Ex Decreto amplissimae Facultatis Iuridice
in Academia Lenensi,
Præsidente viro clarissimo & consultissimo Dn. O. R.
TOLPHO FOMANNO I. V. D. & Profes-
sore Pandectarum publico; Præceptore suo in per-
petuum reverenter colendo;
Publicè discutiendam proponit; in Auditorio ICtorum;
ad diem 22. Decembr.
Philippus-Henricus Hoenonius Dietzen-
sis Nassovius;
JENÆ
Typis Tobias Steinmanni, Anno 1599.

1599

30

